



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Observationes in Cap. II. quod Exceptiones continet contra Leges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

debuisset: discrimen evidentius fuisset, si in ea egisset Autor de Promulgatione & Acceptatione Legum necessariis, ut obligationem pariant. *Gratiani* verba, quæ laudat, id postulabant, cum utramque spectent.

OBSERVATIONES in CAPUT II. quod *Exceptiones* continent contra *Leges*.

REGULÆ propositæ, *Leges observandas esse*, Autor EXCEPTIONES XXI. refert, quarum copia idcirco solum tanta est, quod *Regula* sit imperfecta: sub eâ enim collocari debuisset, quidquid necessarium est, ut Lex obligare possit, scilicet Potestas legitima, Justitia, Utilitas publica: ceteræque Conditiones *Can. 2. DIST. IV.* enumeratæ, Promulgatio sufficiens, Acceptatio manifesta. Quippè pleræque harum *Exceptionum* nascuntur ex conditionibus in *Regula* omisissis. Eas lustrare sufficeret, ad percipiendam inutilitatem ipsarum, si *Regule* debita integritas ac perfectio restituantur. Et quidem *Exceptio 1.* sumitur à defectu Potestatis. *Secunda* à defectu Justitiæ. *Tertia* est exemplum Legum injurarum ob contrarietatem ipsarum cum Lege Divinâ aut Naturali. Idem de *Quarta*, nam si Princeps Legem Ecclesiasticâ Legi contrariam in re merè Ecclesiasticâ condant, illa injusta est. Idem dicendum est de *Quinta* & *Sexta*, quia Lex contraria Libertati & Immunitati Ecclesiæ, facta ab eo, qui iis derogare non potest, est injusta.

Octava petitur à defectu unius qualitatis, Legi essentialis, quæ scilicet ad communem utilitatem vergere debet, quod Legi Personali convenire nequit, quæ propriè non est Lex, sed Dispensatio à Lege. Idem est de *Nonâ*; nam Legi essentialis est, ut jubeat aut vetet; quæcumque hortatur, aut suadet tantum, non est Lex.

Vigesima sumitur à defectu promulgationis sufficientis; hanc enim secuta ignorantia nullam parit excusationem. *Vigesima prima* sumitur à defectu Potestatis; nam Lex non obligat extrâ Districtum ejus, qui ipsam condidit, ideò quod ejus Jurisdicctio illo Districtu claudatur. Idem fit Judicium de *Decimatertia* & *Decima quarta*; nam si Leges Civiles non adstringunt Personas Ecclesiasticas, id fit, quia ipsæ se à Potestate Seculari immunes contendunt, quoad Capita ab illis Legibus definita.

Reliquæ *Exceptiones* aliis vitiis laborant. *Decima* insinuat, Pontificem solum dispensare posse. Plures aliæ ad dispensationem pertinent; quæ sub *Decima* collocari debuissent, velut casus, aut exempla ad eam pertinentia: Talis est *Quinta*, quæ supponit, Pontificem à Legibus secum dispensare posse, *Decima-sexta* sumpta ex Potestate S. SPIRITUS in illas Leges; *Decima-nona* sumpta ex eo quod Lex superior ab inferiore dispenset.

Inter has XXI. *Exceptiones*, quædam sunt *Replicationes*, quarum aliæ comprehenduntur in *Regula*: Talis est 1. ea, quæ *Exceptioni 1.* opponitur; is enim, qui Leges ferre potest, valet etiam alienas adoptare, & quoad Subditos, parum ipsorum refert, an eorum Prælatus Legem condiderit, an adoptaverit ab alio conditam. 2. Talis est *Prima*, quæ legitur in *Exceptione X.* quæ pertinet ad casum justæ Dispensationis. Autor, relatis causis, quæ Dispensationes justas faciunt, pro primâ *Replicatione*, addit, Dispensationem esse nullam, si nullâ causâ legitimâ fulciatur; undè sequitur, obligationem à Lege impostam perseverare. Idem judicium ferendum est de tribus aliis *Replicationibus*. Nullæ sunt Dispensationes, quæ lædunt Jus Naturale aut Præcepta Evangelica, aut jus tertii, cui sine injusitiâ officii nequit; ergo Lex subsistit.

Nihil dicemus de *Duplicatione*, de *Secunda Replicatione*, de *TriPLICATIONE* &c. sufficet observare, Autorem ibi sine legitimâ causâ distinguere casum, in quo quis inter duo Præcepta Legis Naturalis aut Divinæ situs est, quorum unum minus & aliud majus, &

Tom. I.

casum, quo istæ angustia non eandem personam coarctant, sed duas; & contendere, quoad Primum personam unicam dispensari à minore Præcepto per obligationem observandi majoris; ut in Secundo personam minori peccato expositam illud admittere non debere, ad propulsandum majus ab aliâ personâ; nam, si licet alicui peccatum exiguum facere, ad fugiendum majus, ei licebit etiam idem facere ergâ alium, quia diligere debet proximum sicut seipsum. Adjiciemus hoc in loco, exemplo sensibili apparere, methodam argumenta discutiendi, per *Exceptiones*, *Replicationes*, *Duplicationes*, *TriPLICATIONES*, ea obscuritate aspergere, nedum illustret & prolixitatem augere, nedum brevitatem pariat.

OBSERVATIONES in CAP. III. & IV. continentia OMNES JURIS SPECIES in quibus distinguitur id, quod vim Legis obtinet, ab iis, quæ illâ carent.

CAPUT III. est sine Regulis, *Exceptionibus*, *Replic.* &c. excepto loco, in quo de Privilegiis agitur, circa quæ dantur una *Regula*; *Exceptiones XI.* *Replicationes* & una *Duplicatio*. Cum hic præcipue agatur de *Regulis*, ac earum Comitatu, breviter de *Regulâ* hujus Capituli differemus; pleræque *Exceptiones* sub *Regulâ* collocari poterant, ei adjiciendo *Clausulam*, sine justâ causâ; nam illæ cadunt in casus, in quibus justæ causæ Privilegia tolli postulant, tales sunt 1. Is, in quo Privilegium tertio valde noxium est. 2. Is, in quo cessat Privilegii causa, 3. Is, in quo Privilegio quis abusus est; 4. Is, in quo Privilegium alteri Privilegio derogat; 5. Is, in quo ipsi renunciatur. 6. Is, in quo per XXX. annos neglectus fuit usus Privilegii. 7. Vel si semel aliquid actum sit contra privilegium. 8. Is in quo Princeps contrarium privilegium largitus est, aut præcedens revocavit: quod locum tantum habet, cum justa est mutationis causa. 9. Is, in quo Privilegium jure merito ab unâ re, aut persona, ad aliam extenditur. Et hæc sunt præcipue *Exceptiones* & *Replicationes*, quæ nihil aliud sunt, quam exempla *Clausulæ*, quæ *REGULÆ* apponenda erat: Porro, modus hic exponendi magis Naturalis, perspicuus, brevis, proindeque magis idoneus videtur, quam Autoris methodus, silvâ *Exceptionum*, *Replic.* &c. implicata.

Circa reliqua observabimus 1. Illum rectè componere Canones, quorum alii dicunt, Consuetudinem Legi cedere; alii vero Legi derogare; priores exponendo de Consuetudine Legem præcedente, posteriores de Consuetudine Legem subsequente, de *Jure non script.* n. 3. & dicendo, *Conditiones* supra requisitas, ut justæ sint, Leges requiri quoque ad æquitatem Consuetudinis.

2. Decisiones Jurisconsultorum vocatas *Responsa Prudentum*, vim Legis quondam obtinuisse, sed nullum privatum Doctorem in Ecclesiâ ejusmodi honore illustratum fuisse; is quidem Cardinalium Decisionibus competere fertur, sed præter quam quod omnes non consentiant, eas vim Legis habere, Cardinales, qui eas ferunt, non, ut privati, loquuntur, sed quatenus membra Tribunalis à Pontifice constituti, insuperque requiruntur, ut à Pontifice Decisiones approbatæ sint, de *Respons. Prudent.* n. 2.

3. Juxtâ *VIGELIUM rationes Juris*, ac *Regulæ Juris* unum & idem sunt: id insinuat per Titulum de *Rationibus*, sive *Reg. Juris*. Sed, hoc non obstante, negat eas vigorem Legis habere. Dignitatem atque autoritatem illam tribuere debebat *Rationibus*, quæ excerpuntur ex Textibus, ubi aliquandò sunt *Principia* Definitionis; aliquandò ejus *Summa*: Tales sunt omnes, quæ in utroque *Jure*, *Regularum Juris* nomine donantur.

4. Ad faciendam Legem, non sola justâ causa, seu Ratio Legis requiritur, sed cum eâ concurrere debent autoritas Legislatoris & consensus Populi. *ibid.* His conditionibus adjicienda erat voluntas Prælati.

Z 3

5. Putat